



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De materia extremæ-unctionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

tur; sed sufficere ad essentiam, partem aliquam corporis ungi, cum ubique sensus vigeant, quamvis organa, si possit fieri, ad expressiorem significationem debeant ungi. Denique *Florent.* & aliâ Concilia enumerant septem unctiones, nec distinguunt: & ita ex illis nequit colligi quod quinque magis sint de essentia, quam septem & per consequens non repugnant assertioni, quæ unicum dicit perficere essentialiter Sacramentum.

CAPUT IV.

De materia Extreme Vnctionis.

Quæritur, an benedictio Episcopi sit necessaria essentialiter ad materiam Sacramenti Extreme Vnctionis? Resp. affirmare id communem Theologorum sententiam, paucis exceptis, inter quos *Em. Sà. V. Extrema Vnctio*, & *Victoria in Summula n. 217.* qui communi opinioni opponit in verba Iacobi nullam fieri benedictionis mentionem. Favere etiam potest quod tradit *Arcadius l. 5. de Sacram. c. 2.* & post eum *Prepositus*, quod Presbyteri in Ecclesia

Orien-

Orientali soleant benedicere oleum
 Sacramenti hujus, idque ex antiqua
 consuetudine; etiam ante schisma.
 Quod non reprobavit Ecclesia Lati-
 na, quin potius approbatus videtur ille
 usus à Clemente 8. in *Instruct. super ri-
 tibus Græcorum*, anno 1595. ultimo Au-
 gusti. Et huic opinioni, quod benedi-
 ctio Episcopi non sit essentialis, favere
 videtur consuetudo in quibusdam E-
 piscopatibus, in quibus valde parum
 olei Decanis singulis distribuitur post
 benedictionem ab Episcopo adhibi-
 tam. Monentur quidem non benedi-
 ctum guttatim infundere, quia sic to-
 tum participat benedictionem per
 mixtionem, *juxta Capitulum, quod in
 dubiis*, sed tanta debet fieri mixtio, ut
 longè sit major quantitas superaddita,
 quam præexistens; si omnibus oporteat
 Pastoribus sufficienter dare pro
 toto anno. Et licet non unâ vice quan-
 titas superaddatur major, sed gutta-
 tim, & quidè intercisus horis, vel die-
 bus: tamen si semper quod superaddi-
 tur sit benedictum, etsi guttatim fiat &

interposito quidem temporis alienius
 spatio sequeretur hic posse dari quidam
 progressus in infinitum. Si enim quod
 hac hora misceo totum sit benedictum, &
 iterum altera hora mixtum totum be-
 nedictum, & sic de hora in hora possum
 miscere, & de die in diem augere; illud
 totum tandem poterit fieri immersa qua-
 ntitas: quia totum semper exigua mix-
 tione sit benedictum & potest semper
 aliquid superaddi. Saltem hoc in praxi,
 facile est advertere, quod finaliter
 quantitas superaddita superet quanti-
 tatem ab Episcopo consecratam, & qui-
 dem notabiliter, si oporteat satisfacere
 omnibus Parochis. Quapropter vel
 Sacramentum videtur reddi dubium,
 vel dicendum benedictionem non esse
 necessariam necessitate Sacramenti
 vel etiam ab alio quam Episcopo fieri
 posse. Unde vidi ego antiquum quem-
 piam ex Decanis cum misceret olea
 sacra his verbis utentem: *Hac commix-
 tio olei non consecrati cum consecrato pa-
 riter fiat, in nomine Patris, & Filii, &
 Spiritus S. Quam formam ubi didice-*
 rit,

rit, nescio. Interim hæc disputativè
sint dicta, obsecrando Episcopos Reve-
rendiss. Dominos ac PP. meos cum o-
mni humilitate, ut majori in quãtitate
Oleũ sacrum distribuant, maximè in-
firmorum, ne incautã mixtione mate-
ria possit reddi dubia. Quod iterum
alibi obsecravi, & hic repeto, quia
non parum anxietatis mihi hæc inge-
rit mixtio.

CAPUT V.

De sepultura mortuorum,

1. **Q**UÆRO. *An omni die possit sepe-
liri mortuus?* Resp. affirmati-
vè, etiã si dies sit Paschæ, Apud aliquos
visum est in dubiũ revocari, an in die
Parasceves sepeliendus sit mortuus?
Resp. etiam tunc posse sepeliri, sed ta-
men tunc non sunt pullandæ campa-
næ. Quantum autem temporis inter-
esse debeat inter mortem & sepulturã,
ex locorum diversa consuetudine pen-
det resolutio. Nobis ordinantur in
Leodiensi Diœcesi viginti quatuor hore.
Quod intellige, nisi causa subsit, ut
facilè fit in nimio æstu, dum corpora
corru-

corru-